Et trium cubitorum altitudinis; Multifariam et
multis modis una eademque nostrae salutis sacra
menta praefigurantur; Namque idem apostoli vel
quaeque apostolici qui per boves mare portantes designantur;
Designantur etiam per bases quae portandis decem luteribus
perfectae quomodo ipsi luteres eorundem lavacri spiritalis
cuius et mare typum gerebat; Siquidem in eis ut verba dierum
narrant omnia in eis quae in holocaustum oblaturi erant
lavabant; Holocaustum autem domini gentis electae omnis
electorum multitudo potest intellegi; Quae iuxta vocem
praecursoris baptizata est ab ipso in spiritu sancto et igni; Sicut
ergo sacerdotes qui in mare lavabantur formam expri
munt eorum qui per baptisma efficiuntur summi consor
tes sacerdotis; Qui est in domino Iesu Christo tunc etiam holocausta
eorundem figuram apprime praetendunt; Cum post ablutionem
baptismi gratia spiritus sancti implentur; Lavantur namque in
luteribus hostia cum quis fidelium aqua baptismi perfunditur;
Offertur vero in holocaustum cum per impositionem manus
episcopi donum spiritus sancti accipiat; Philippus evangelista cum
praedicasset in Samaria; Quid nisi in luteribus templi hostias
domini lavabat; Sed quia necdum in quemquam eorum spiritus sanctus
descendebat; Sed baptizati erant tantum in nomine domini
Iesu; Velut ablutae hostiae necdum ad sacri altaris
ignem perveniunt; At cum missi illo Petrus et Iohannes impo
nebant baptizatis manus et accipiebant spiritum sanctum; Lo
quebantur quoque linguis; Iam ad ignis altaris perveniebant